



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Fasti Mariani

Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Fvlco Episc. 26. Octob.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

S. FVLCO EPISC. 26. Octob.

Vi pauperes esse Musas indignantur, exem-  
 plum patientiæ licet à FVLCO mendicent.  
 Hic extremâ rerum omnium inopiâ pressus, non  
 tamen ideò minùs literas coluit, dudum ab his  
 ipsis edoctus somnia doctiora non post merum,  
 sed aquas in Helicone potas obrepere. Quare non  
 inuitus à magistro doctrinam, ab aliis victum ve-  
 situmque precariò accepit. Et fortè fortuna di-  
 tiores ædes pulsavit, cum ancillula stipem per jo-  
 cum ealege porrexit, ut ne infulam unquam ac-  
 ceptaret. Enimverò jam jam prehensurus panem,  
 FVLCO manum illicò retraxit, indignum reputans  
 tam parvo lucello tam magnas spes vendere. Et  
 placuit generosus hic animus usque adeò adium  
 domino, ut victum deinceps ceteraque vitæ præ-  
 stantia omnia FVLCO liberaliter suppeditaret. Ita-  
 que postâ molestâ paupertatis sarcinâ, cum libe-  
 ris jam studiorum studia decurreret, inter Cano-  
 nicos, quos vocant Regulares, adnumeratus, mis-  
 sitque Lutetiam Parisiorum, Doctoris primò ti-  
 tulo ornatur, mox Placentiæ ad Euphemiam re-  
 quis præponitur, inde Archipresbyter, inde Epi-  
 scopus Placentinus, denique Papiensis etiam de-  
 nominatur: & jam illa olim omnibus supplex ma-  
 nus anulo vestitur, caput omnibus apertum mitra  
 regitur, doctaque egestas purpurâ involvitur. Sed  
 tamen memor fortunæ veteris, dum vixit, quinos  
 semper mensæ pauperes adhibuit, toridemque  
 magistro suo Musarum clientes, & septem  
 gentes viros nobiles aluit. Atque hi fecere, ut  
 virgo FVLCO, pater tamen obiret. Ex Ferrar.  
 Erige animum: Tribulatio vires non opprimat, ad-  
 versa

versa saeculi patientia superet: pompam mundi secura mens despiciat: actio tua ad ea, qua Dei sunt, se occupet: considera quàm nihil sit, quidquid sine concluditur. S. Greg. Registr. l. 11. c. 23.

S. ELESBAAAN CONF. 27. Octobrâ.

**N**on erubescant reges in regem ELESBAAANVM intueri, & ex ejus vultu, Æthiopis licet, mores tamen suos componere. Bellum illi grave erat cum rege altero Dunaanò Judaicæ superstitioni addicto. Causæ & DEO fidens, purpuram quidem pugnaturus exiit, cæterùm ingentes animos induit: quos majores etiam Anachoretæ nescio quis illi fecit, cum, ut sibi DD. Martyrum præfida (optimas utique auxiliares copias) accerferet, per-suasit. His fretus cum in aciem descendisset, eadè initiatio laborare hæc videretur, pugna tamen ad extremum vicit, auspiciatissimo D. Gabrielis nomine. Iur militari tesserâ tertium in aère conclamato. Ad hæc Superi Dunaanum hostè ita deludere, ut veluti fascinatus catenâ aurcâ, & se & amicos illigatos venienti ELESBAAANÒ objiceret: quos quidem victoriz hic: sacrificaturus eodem ferro omnes immolavit. Sed nunc triumphum specta Lector. Hunc ecce, triumphali coronâ Hierosolymam missâ, ELESBAAANVS saccum non rogam palmatam indutus, & solus obscurâ nocte in montem proximum ductus, casana, non Capitolium subit; vota victor voce numquam inde egrediendi; jamque triumphales cupias pane nudo, herbis ac fontanâ continuat, nulli hominum visus, uni sibi & Superis notus. Nihil hæc ad meos triumphos, ait Romulus. Sed sic triumphanti cælum applausit, *Ex Metaphr.*

Lagurus